

Johannes Vorst   Christian Vorst

## **De Tois Ellsi, Quorum In Cap. XII. Itemque In Cap. VII. S. Johannis Fit Mentio, Diatribe**

Rostochii: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740001035>


Druck   Freier  Zugang



R. u. Med. 1652

Vorstür, Johann / 6

Vort-Vorstür, Christian



DE  
ΤΟΙΣ ΕΛΛΗΣΙ,  
QVORUM IN CAP. XII.  
ITEMQVE IN CAP. VII. S,  
JOHANNIS FIT MENTIO,  
DIATRIBE,  
QVÆ IN ILL. ACAD. ROSTOCHIENSI  
PLACIDÆ VENTILATIONI  
SUBIICIETUR

à  
PRÆSIDE  
M. JOHANNÈ VORSTIO,  
ET  
RESPONDENTE  
CHRISTIANO VORSTIO,  
DIE VI. NOVEMBRIS,




ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
Anno M. DC. LII.

1652

D 3


TOIS ELLA HZL  
OVORUM IN CAP. XII  
MEMORIE IN CARAVI  
JOHANNIS ET MENTIO  
DIVERSI  
ONE IN L. AD ROSTOCHENSIS  
L. ROSTOCHENSIS

M. JOHANNES VORSTIO  
ET  
CHRISTIANO VORSTIO  
DIE WITVENBERG



Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

Rostock  
Johann Nicolaus Kuhn, Buchhändler  
Anton M. D. L.



## ΣΥΝ ΘΕΩ.



Ualesnam fuerint *Ἕλληνες* isti, quorum in cap. XII. Evangelii Joh. v. 20. fit mentio, video in controversiâ esse. Idemq; igitur nunc exquirere liber. Verba sacri Scriptoris sic habent: ἦσαν δὲ πινες Ἕλληνες ἐκ τῶν ἀναβαινόντων, ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ. Quæ ita vertit vulgatus interpres: *Erant autem quidam gentiles ex his qui adscenderant, ut adorarent in die festo.* Creditit interpres iste, vocem *Ἕλλην* hîc talem esse, quâ non natio aut nativitatis locus, sed religio significetur. Ut ita *Ἕλληνες* hîc dicantur, qui & *ἔθνικοὶ* juxta sacræ scripturæ stylum dici possunt. Vox *ἔθν* in N. T. non sic perpetuò, ut in aliis scriptis usurpatur. Sa-  
 pissime significat *talem gentem, quæ vel Judaicam, vel Christianam religionem non haberet.* Atq; à voce hac significatione affectâ, derivata est altera vox *ἔθνικός.* Quæ igitur significat *quendam ex istiusmodi gente, quæ vel Judaicam vel Christianam religionem non haberet.* Latinus interpres talem quendam vocat *gentilem.* Quæ vox Latinis vulgò aliud quid sonat: novè autem usurpata est ad talem quendam significandum, quòd & vocula *gens*, à quâ ea derivata est, deflexa, esset ad talem gentem in specie significandam, qualem jam descripsimus. Sed isti sic dicti *ἔθνικοὶ* sive gentiles sæpe etiam *Ἕλληνες* vocantur. Quæ res præcipuè manifesta est ex illis locis, ubi *οἱ Ἰσραῆλιται καὶ οἱ Ἕλληνες* discernuntur, sibiq; opponuntur. Exemplum est Act. XIV. 1. ubi S. Lucas narrat, cum Iconii verbum Dei ab Apostolis prædicatum fuit, *πιστεύσατε Ἰσραῆλιται καὶ Ἕλληνας πολὺ πλῆθος.* In ep. ad Rom. cap. 1. 16, cum S. Paulus dicere vellet, *Evangelium esse δύναμιν θεῶ ἐς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι,* *potentiam Dei in salutem omni credenti,* subdidit mox *Ἰσραῆλιται πρῶτον καὶ Ἕλληνας.* Ita omnes homines Apostolus distinguit in *Ἰσραῆλιταις* & *Ἕλληνας*, & quicumq; Judæi non essent, hos

Ελληνας esse subinnuit. Sed quicumq; Judæi tum non erant, hi erant ἔθνηοι gentiles. Ex quo ergo intelligitur, τὰς Ελληνας non alios esse, quàm τὰς ἔθνηοις gentiles, hoc est, tales, qui Judaicæ religioni non essent addicti.

II. Sed quæritur, an vox perpetuo sic usurpetur in scriptis Novi fœderis: atq; ac in verbis S. Johannis sic quoq; sit intelligenda. Et quidem de posteriori hoc non aliter sensit Latinus Interpres, quàm esse & in verbis S. Johannis sic intelligendam. Vertit enim manifestè: *Erant autem gentiles quidam*. Nec aliter sentit Vir incomparabilis in funere L. Hellenisticæ. Scribit quippe is in pag. 110, verborum S. Johannis hunc sensum esse: *Erant verò quidam Græci sive gentiles inter eos vel cum illis, qui ascenderant propter festum ut adorarent*. Sed & de altero sic habere videtur idem Vir summus, non ullibi vocem usurpari aliter. Nos primò scimus, ubi vox Ελλην non gentilem, sed Græcum natione, in Græciâ natum, & Græcâ Linguâ utentem significet. Nimirum in ep. ad Rom. cap. I. 14. scribit Paulus, se debitorem esse gentibus, hoc est, gentili religioni addictis, sive qui Judæi non essent, Ελλησι τε καὶ βαρβάροις, Græcis & barbaris, hoc est, & illis qui natione Græci sint, & qui non sint. Quod dicit se debitorem esse gentibus & Græcis & barbaris, id idem est cum eo quod in ep. ad Gal. II. 7. dicit, *sibi creditum esse Evangelium τῆς ἀνεσθυσίας præputii*, hoc est, in gentiles: quemadmodum Petro in circumcisos sive Judæos. Porro & sic opinamur, in verbis S. Johannis cap. XII. per τὰς Ελληνας intelligi tales, *qui natione Græci essent, sive in Græciâ nati*, atq; igitur hunc verborum sensum esse: *Erant verò quidam Græci inter hos qui ascenderant Hierosolyma, ut adorarent*. Quod quidem satis manifestum erit, si modo adversæ sententiæ fuerint repulsæ. Ea enim significatio vocis maximè propria est, quæ talem significat, *qui natione Græcus, atq; in Græciâ natus est*.

III. Quod Ελληνας à S. Johanne memorati non sint gentiles, ut vulgatus interpres, & cum eo Vir incomparabilis existimat, liquet ex eo, quod additur, *eos Hierosolyma fuisse profectos, ut ibi adorarent in festo Paschatis*, quod nimirum tum intabatur. Illud ipsum Hierosolyma proficisci, *ut in festo ibi adores*, non potest τῶις ἔθνηοις gentilibus competere. Sic enim soli Judæi facere solebant: idq; ex divino mandato. Jusserat Deus omnem masculum ter quotannis comparere Hierosolymis, ibiq; sacra opera obire.

obire. Vide de eo Exod. XXIII. 17. & Deut. XVI. 16. Illud igitur mandatū nō tantum hi qui in Palæstinā, sed & illi qui in aliis provinciis agebant, exsequi studebant. Ex quā variis provinciis Hierosolyma cōfluxerint, cōstat ex A. c. cap. secundo. Cum festum Pentecostes agendum esset, venerunt Hierosolyma Judæi ex Parthiā, Mediā, Perfiā, Mesopotamiā, Cappadociā, Ponto, Asiā, variisq; aliis locis. Nam quod Vir summus in libro de Hellenist. p. 198 scribit, varios istos homines Hierosolymis fixas sedes habuisse, id nihili est. Verba ejus hæc sunt: *Sed & paulo ante eodem capite Judæorum meminit (S. Lucas) Hierosolyma inhabitantium ex omnibus gentibus qui sub cælo sunt: Erant autem in Hierusalem habitantes Judæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.* Itemq; hæc: *Religiosi illi Judæi qui ex toto orbe, & ex omni natione quam sol videt, profecti, Hierosolyma tunc incolebant, studio religionis ac pietatis relicto natali solo, in urbem sanctam se contulerant, domiciliumq; ibi optarant, ut templum de proximo assidue frequentarent.* Cæterum & solos illos credit Hierosolymis tum fuisse ἐπιδημῶντας advenas, qui dicuntur Ρωμαῖοι, Κρήτις καὶ Ἀραβες. De eo amplius sic habet in pag. 200: *Postea etiam illos Judæos recensuit qui non κατοικῶντες Hierosolyma erant, sed ἐπιδημῶντες advenæ, non incolæ. Romanos primum inter eos enumerat, tam Judæos quàm Profelytos, deinde Croatas & Arabes.* Hæc, inquam, omnia sunt nihili. Quamvis Parthi, Medi aliq; dicantur κατοικῶντες ἐν Ἱερουσαλήμ habitantes in Jerusalem: fuerunt tamen ipsi quoq; ἐπιδημῶντες modo, hoc est, advenæ, non incolæ; æquæ ac Ρωμαῖοι, Κρήτις & Ἀραβες. Κατοικῶν in vers. V. c. II. A. c. non aliud significat, quàm ἐπιδημῶν advenam esse alicujus loci. Quod ex eo satis intelligitur, quod mox vers. IX. sequitur, καὶ οἱ κατοικῶντες Μεσσοποταμίαν, Ἰσραηλιαντε καὶ Καππαδοκίαν, & C. Hic sanè per τῶν κατοικῶντες veri incolæ alicujus loci sunt intelligendi: non advenæ. Certe illi homines tum temporis Hierosolymis consistebant. Neq; igitur eodem tempore Mesopotamiam, aut Cappadociam poterant advenæ dici. Cum autem Mesopotamiæ aut Cappadociæ incolæ essent, poterant Hierosolymorum dici advenæ, si modo illuc aliquando commearent. Porro quoniam certum est, eos Mesopotamiæ aliarumq; regionum tum fuisse incolæ, manifestè apparet, quod in vers. V. iidem dicuntur κατοικῶντες ἐν Ἱερουσαλήμ, ex eo nihil aliud esse intelligendum, quàm fuisse eos tum temporis Hierosolymorum modo advenas. Atq; ita τὸ κατοικῶν in



vers. V. longè aliter intelligendum esse, quàm in vers. IX. Omnes illi, qui ex variis provinciis Hierosolyma tum venerant, Judæi fuerunt, & quidem vel origine vel religione tantum, qui alio nomine profelyti dicuntur. Sic & isti qui Joh. XII. dicuntur Hierosolyma comessse, ut ibi in festo Pentecostes adorarent, sine dubio Judæi fuerunt. Quod & prædictus Vir summus minimè negat. In Fun. L. Hellenist. p. 110. hæc ejus sunt manifesta verba: *Illi igitur ἀναβαίνοντες, ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ, Judæi sunt.* Atq; eadem repetit quoq; in sequenti paginâ.

IV. Sed existimat idem Vir summus, non de ipsis Ἕλλησι quoq; dicere S. Johannem, eos in eundem finem Hierosolyma fuisse profectos. Atq; igitur nec opus esse statuere, Ἕλληνας istos fuisse Judæos: sed licere credere, eos fuisse gentiles. De eo igitur videamus, an S. Johannes de τοῖς Ἕλλησι quoq; dicat, eos hoc fine ivisse Hierosolyma, ut ibi adorarent. Nos affirmavimus jam antea. Existimamus autem id satis constare posse ex eo, quod dicitur, τὰς Ἕλληνας fuisse ἐκ τῶν ἀναβαινόντων, ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ hoc est, fuisse ex illis sive inter illos qui ascenderant, ut adorarent. Qui fuerunt ex ascendentes sive inter ascendentes ut adorarent, hos & ipsos oportet eo fine ascendisse ut adorarent. Si dicam, *hic est ἐκ τῶν φίλων μου ex amicis meis, sive inter amicos meos*, annon tum id quoq; volo, ipsum esse amicum meum? Sic igitur itidem cum dicitur, Ἕλληνας esse ex ascendentes, ut adorent, id omnino volo, Ἕλληνας & ipsos ascendere ut adorent. Vir incomparabilis verba S. Johannis sic explicat: *Erant quidam Ἕλληνες inter illos vel cum illis qui ascenderant, ut adorarent.* Credit igitur, tantummodo comitatum quendam à S. Johanne esse significatum: τὰς Ἕλληνας unâ fuisse cum his qui ascenderunt, ut adorarent, unâ cum illis iter fecisse. Atq; hanc suam mentem ostendit amplius his verbis: *Illi igitur ἀναβαίνοντες, ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ, Judæi sunt.* Illi τινὲς Ἕλληνες, sunt quidam ex Græcis gentilibus, qui cum Judæis apud se habitantibus, & Hierosolyma propter festum contendentes unâ venerant. Mox item subjicit, hanc interpretationem esse simplicissimam, & Græcis verbis unice convenire. Verum enimvero in his omnibus Virum summum manifestè ratio fugit. In Græcis verbis est vocula ἐκ. Quam quis unquam audivit aut legit, comitatum signifi-

significare? Si dixerò, ut id repetam, *aliquem esse ἐκ τῶν Φιλῶν μὲν ex amicis*, minimè id volo, *eum cum amicis meis versari*: sed verò illud, *esse & ipsum amicum meum, ipsum turbæ amicorum aliquam partem esse*. Sic igitur etiam, si dicatur, *quosdam Ἑλληνας fuisse ἐκ τῶν ἀναβαινόντων*, non id intelligi potest, *istos quosdam Ἑλληνας fuisse cum ascendentibus*, sed verò hoc *eos turbæ ascendentium fuisse partem aliquam, atq; aded & ipsos ascendisse*. Ita *μερισμός* sive *partitio* fit plurium. Et *voculæ ἐκ* hoc quasi officium est, ut *partitioni faciendæ* inserviat.

V. Apparet, credo, satis manifestè, S. Johannem id velle, τὰς Ἑλληνας *ascendisse Hierosolyma, ut adorarent*: quod Vir summus negabat. Quoniam autem id jam certum & exploratum est, colligimus amplius, *eosdem Ἑλληνας non fuisse gentiles*. Nimirum illud *ascendere Hierosolyma eo fine, ut ibi adores*, gentilibus minimè competit. Sed & hoc in dubium quodammodo vocat Vir incomparabilis, putatq; si maximè concedatur, ipsos illos τὰς Ἑλληνας *ascendisse Hierosolyma, ut ibi adorarent*, ex hoc tamen colligi non posse, eos non fuisse gentiles, sed posse sic quoq; eosdem pro gentilibus haberi. In pag. III. prædicti libri sic amplius differit: *Tametsi accipiatur ut vulgò interpretantur, quid inde consequatur mali? Quis dixit, Græcos gentiles Hierosolymis in magnis festis nunq. comparere solitos*. Hoc verò non sufficit, *gentiles in magnis festis fuisse Hierosolymis*. Si hoc tantum diceret S. Johannes, *quosdam Ἑλληνας in festo Paschatis fuisse Hierosolymis*, ex hoc nondum colligi posset, Ἑλληνας *istos non fuisse gentiles*. Nam & gentiles quamplurimos tum aliàs tum festorum tempore Hierosolymis fuisse, plus sanè quàm verisimile est. Scribit Evangelista, *quosdam Ἑλληνας in eum finem ascendisse, ut adorarent in festo*. An hoc quoq; gentilibus competere potest? Hoc illud est, quod Viro summo probabile est faciendum. Differit quidem amplius his verbis: *Multi sanè (gentiles) non eo animo ac proposito tempore festi Hierosolyma adire solebant, ut adorarent, sed tamen certum est, non paucos religioni Judæorum faventes & addictos, quamvis se circumcidi nollent, nec proselyti fierent, multas Judaicas cerimonias observasse, in templi adorasse, etiam sacrificasse*. Sed hæc verba commodum sensum habere non possunt. Dicit, multos gentiles non eo animo Hierosolyma adisse, ut adorarent. Ex quibus colligi possit, aliquos tamen gentiles eo animo Hierosolyma adisse. Sed ita adverbatarum particularum.

Sed

*sed tamen nullus usus est. Tum demum harum aliquis usus fuerit, si sic  
formetur oratio: Nulli quidem gentiles eo animo Hierosolyma adierunt, ut  
ibi adorarent: sed tamen certum est, non paucos gentiles Judaicas ceremo-  
nias observasse, in templo adorasse, etiam sacrificasse. Concederetur ita, nul-  
los quidem eo animo atq; in hunc finem ut adorarent, Hierosolyma  
venisse: quosdam tamen, ubi jam eo venissent, aliis quidem de causis, tem-  
plum quandoq; fuisse ingressos, quodq; tum Judæos facere viderent,  
& ipsos fecisse. Atq; hæc nihil sanè incommodi habent. Sed ita pror-  
sus aliud efficitur, quàm quod Vir Incomp. ex hypothesi suà debebat  
velle. Probandum ipsi erat, quosdam etiam gentiles eo fine profectos  
fuisse Hierosolyma, ut ibi adorarent. Tantùm verò abest, ut id proba-  
verit, ut ne quidem disertè hos dixerit, sed ex aliis verbis id modo intel-  
ligendum dederit. Dicit, multos gentiles eo animo non adisse Hierosolyma.  
Ex eo hariolandum est, ipsum etiam hoc velle, quosdam gentiles eo ani-  
mo adisse, ut adorarent.*

VI. Quod S. Johannes dicit, quosdam *Ελληνας* fuisse ex his qui Hie-  
rosolyma ascenderint ut ibi adorarent, ex eo nos collegimus, ipsos  
quoq; illos *Ελληνας* eo fine Hierosolyma fuisse profectos ut adorarent.  
Deinde quòd *Ελληνες* isti eum in finem Hierosolyma fuerunt profecti,  
ex eo collegimus, ipsos non fuisse gentiles. Ex quo ampliùs intelligitur,  
ipsam quoq; vocem *Ελληνες* non sic, ut aliàs solet in verbis S. Johannis  
posse *gentiles* significare. Porro qui in eum quem dixi, finem Hieroso-  
lyma ibant, illos necesse est Judaicà religione fuisse usos. Qui verò  
Judaicà religione utebantur, hoc est, ipsi Judæi, hi vel ab antiquissimis  
Judæis oriundi erant, vel noviter eam religionem fuerant amplexi.  
Sanè & hi qui noviter amplexi fuerant, profelyti vulgo dicti, vocaban-  
tur Judæi. Ipse Herodes, qui ex Idumæis oriundus fuit, cujus tamen  
majores Judaicam religionem amplexi fuerant, à Josepho sæpe  
*Ισδαϊ* vocatur. Cum inter Syros & Judæos Cæsareæ lis quæ-  
dam coorta esset: Judæi sibi principalem locum vendicarunt,  
*διὰ τὸ πιν κτισθῆν τῆς Καισαρείας Ἡρώδην, αὐτῶν βασιλέα γεγονέναι τὸ  
γένος Ισδαϊον;* uti id Josephus lib. XX. Antiq. c. 7. prodidit. Quæ-  
rere igitur licet ampliùs, quales Judæi fuerint *Ελληνες* isti, quos S. Jo-  
hannes dicit Hierosolyma venisse, ut ibi adorarent: utrum fuerint

*ἐξ ἀρχῆς Ἰσδαῖοι*, ut Philo appellat, sive ut Chrysofomus, *βαθεῖς Ἰσδαῖοι*:  
 an vero novitii Judæi, qui Judaicam religionem nuper amplexi essent,  
 de cætero ex gentibus essent oriundi. Vir Cl. Joh. Crojus existimat,  
 fuisse *tales Judæos, qui relicta gentilium impietate, quâ ab ipsâ insantiâ*  
*inbuti fuerint, Judæorum sacramenta & ritus fuerint amplexi, sive fuisse*  
*profelytos.* Vide cap. XXXI. Observationum ejus, ubi de illis disserit.  
 Si ergo Judæi jam fuerunt, cur adhuc *Ἕλληνες* vocantur? Putat ille pro-  
 pterea *Ἕλληνας* ipsos dici, quod *Ἕλληνες* hoc est, gentiles olim fuissent.  
 De hoc v. nō satis liquet, an vocabuli *Ἕλληνες* ea vis sit. Quid istis amb-  
 gibus est opus? Quidni dicimus, Judæos istos, quos Hierosolyma pro-  
 fectos fuisse S. Johannes narrat, propterea *Ἕλληνας* dici, quod in Græ-  
 ciâ essent nati? Qui in Parthiâ aut Mediâ nati fuerant Judæi, poterant &  
 ipsi Parthi & Medi nuncupari. Et illis ipsis nominibus se quoq; ipsi ap-  
 pellantes inducuntur in secundo cap. Actorum. Sic & Judæi, qui ex  
 Cretâ & Arabiâ ad festum Pentecostes celebrandum Hierosolyma ve-  
 nerant, *Κρήτις καὶ Ἀραβες* ibidem appellantur. Eodem modo ibidem  
 Judæi appellantur quoq; *Ρωμαῖοι*. Et qui *τὴν Μεσσοποταμίαν, Πόντον,*  
*Καππαδοκίαν καπικίαν* ibidem dicuntur, possunt itidem *Μεσσοποτά-*  
*μιοι, Ποντικοί, Καππαδόκες* dici. Sic igitur etiam, qui *ἐν τῇ Ἑλλάδι*  
 essent nati, aut ibi habitarent, poterant utiq; *Ἕλληνες* dici.

VII. Multa contra hæc differit Vir incomparabilis in fun. Ling. Hel-  
 len. p. 107. *Qui volet mihi indicare, inquit, Judæum ex Hispanis aut Gallis,*  
*non eum vocet absolutè Gallum vel Hispanum, sed Judæum Hispanum, aut*  
*Judæum Gallum. Ita si quis olim de Judæo in Græciâ nato loqui voluit, non*  
*Ἕλληνα simpliciter eum vocavit, sed Ἰσδαῖον Ἕλληνα vel Ἑλληνικόν.*  
*Quod & ipsum tamen nusquam legitur, nisi de linguâ & affectu, nunquam de*  
*patriâ.* Sanè ita est, ut Vir incomp. ait: si quis Judæum in Græciâ na-  
 tum significare velit, oportere *τὸ Ἰσδαῖον* addi. Sed vicissim con-  
 tendimus nos, si dicere quis velit, Judæum quendam in Græciâ esse  
 natum, huic licere dicere, Judæum itum esse *Ἕλληνα*. Sic & de Ju-  
 dæo in Hispaniâ aut Lusitaniâ nato dicere utiq; licet, eum esse Hispa-  
 num aut Lusitanum. Judæi qui in Parthiâ ac Mediâ nati erant, voca-  
 bant se Parthos & Medos, ut ex Act. II. memoravimus. Pariratione  
 Judæi in Græciâ nati se vocare potuerunt *Ἕλληνας*. Sed Vir incomp.

B

para-

parabilis addit: *Ceterum Ἑλληνικὸν aut Ἑλληνα gente aut genere aliquem Judæum dici, nusquam legere est. A civitatibus quarum cives erant denominabantur Ἀλεξανδρεῖς, Ἀνποχεῖς, Ρωμαῖοι, Ταρσεῖς, & ita de cæteris. Quid his sibi vult, quod dicit à civitatibus denominari solitos fuisse Judæos? An illud, non nisi à civitatibus denominatos fuisse? Ita videtur. Cui enim alii fini verba ista essent posita? Id igitur planissime falsum est, nonnisi à civitatibus denominatos fuisse Judæos. Non tantum dicebantur Ἀλεξανδρεῖς, Ἀνποχεῖς: sed & nominibus gentium, Parthi, Medi, Elamite, Cretes, Arabes. Quemadmodum his nominibus dici poterant Judæi, qui in Parthiâ, Mediâ, aut quadam cæterarum regionum nati erant: ita & hi, qui in Græciâ nati erant, poterant Ἕλληνες dici, voce itidem gentem significante.*

VIII. Habemus unum locum sacrarum literarum, in quo certissimum est Judæos dictos esse Ἕλληνας, & ideo quidem sic dictos, quod ἐν τῇ Ἑλλάδι in Græciâ nati essent. Vir summus propterea potissimum negaverat, Ἑλλήνων nomine Judæos esse in loco Johannis intelligendos, quia nunquam aliter vox Ἕλλην in N. T. sumatur, quam generatim pro incircumcisis ac gentilibus. Ita ipse professus est in fun. Ling. Hellenist. p. 121. Si verò ita res se omnino haberet, in omnibus cæteris locis, ubi vox Ἕλλην est, eam significare incircumcisum ac gentilem: ex tamen rationes, quas nos attulimus, persuadere poterant, in loco S. Johannis vocem Ἕλλην non significare gentilem. Fit enim, ut vox quædam uno significato semel modò reperiat. Sed sunt & alia loca, ubi Ἕλλην non gentilem, sed in Græciâ natum, & Græcâ Linguâ utentem significat. Nimirum Rom. I. 14. Ἕλληνες & βάρβαροι inter se distinguuntur. Ex quo facile intelligitur, Ἕλληνας dici eum qui in Græciâ natus est, & Græcâ Linguâ utitur. Atq; hoc alicubi etiam agnovisse videtur Vir summus. Nam in aliâ paginâ, 99. puta, scribit, vocem Ἕλλην in N. T. latissimâ significatione fere semper (non, semper, ut alibi scripserat) pro gentili & pagano, hoc est Græcorum superstitionem sectanti.

IX. Porro in eadem pag. ut exquirat, quid vox Ἕλληνες in Joh. XII. significet, ita scribit: Videndum an nomen Ἕλληνες, quod ubiq; in scripturâ opponitur τῷ Ἰσραὴλ, possit interdum in eadem scripturâ accipi pro Judæo.

Judæo. Deinde mox subjicit: *Hoc si est, jungendi jam sunt gryphes equis, nec quicquam vetat, quin omnia vel medium fiant mare, vel in antiquum chaos redigantur.* Hoc sibi vult Vir summus: quoniam Ελλην ὀππὸν solet τῷ Ἰσραήλ, sic ut duæ istæ voces contradictionem involvant (hæc enim talem significat, qui Judaicâ religione imbutus est: illa verò talem, qui Judaicâ non imbutus, sed incircumcissus & idololatra est) non posse τὸν Ἰσραήλ dici Ελλην. Et hoc quidem satis verum est, eâ significatione, quâ οἱ Ἕλληνες ὀππὸν τῷ Ἰσραήλ, Judæos non posse Ἕλληνας dici. Possunt vero iidem Judæi aliâ quadam significatione Ἕλληνες dici. si vox, ut vulgo solet, significet talem qui in Græciâ natus est, & Græcâ Linguâ utitur. Hac significatione quid vetat Judæos, qui in Græciâ degebant, dici Ἕλληνας? Sed nec de illo dispicere opus erat, an, quod Vir summus scripsit, *nomen Ἕλληνος possit interdum in S. Scripturâ accipi pro Judæo.* Qui contendunt, Ἕλληνας istos quorum Joh. XII, fit mentio, Judæos fuisse, non continuo & hoc volunt, vocem Ἕλλην ibi Judæum significare. Diversa hæc sunt, *an Ἕλληνες isti Judæi fuerint, & an vox Ἕλληνες ibi Judæos significet.* Prius horum & nos asserimus: non item posterius. Nec puto illos, contra quos Vir summus agit, tam fuisse ἄποπες, ut unquam vel dixerint, vel scripserint, vocem Ἕλλην significare Judæum, hoc est, duas voces Ἕλλην & Ἰσραήλ æquipollere. Judæi, qui in Græciâ degebant, alio significari sunt Ἕλληνες; alio vero non sunt. Sunt Ἕλληνες, si per vocem illam intelligas in Græciâ natos, & Græcâ Linguâ utentes, iidem verò non sunt Ἕλληνες, si intelligas gentiles.

X. Unus Apostolus Paulus in epistolâ ad Romanos cap. I. & in vicinis quidem versiculis duplici significatu vocem usurpavit. In vers. 14. scribit, *se debitorem esse Ἕλλησι τε καὶ βαρβάρους:* ubi per τὰς Ἕλληνας intelligit in Græciâ natos, & Græcâ Linguâ utentes. In vers. 16. longè aliter usurpat vocem, cum dicit, *Evangelium esse potentiam Dei in salutem omni credenti, Ἰσραήλ τε πρῶτον καὶ Ἕλλησι, Judæo & Græco, hoc est, gentili.* Sed dicat quispiam, annon Ἕλληνες, quorum in vers. 14. mentionem facit, & ipsi gentiles sint intelligendi. Id quærenti igitur minimè nos repugnabimus. Non dubium nobis est, quin S. Paulus meros gentiles

tiles intellexerit, cum scripsit se debitorem esse Græcis & barbaris. Nam  
 in præcedentibus scripserat, se cupere quosdam quoq; ex Romanis con-  
 vertere, quemadmodum & ex cæteris ἔθνεσι quosdam converterat.  
 Deinde scimus, S. Paulum alibi diserte scripsisse, concreditum sibi fuisse  
 Evangelium εἰς ἀκευβυσίαν in gentiles: aliis verò in Judæos. Sed ex  
 eo, quod nos concedimus, illos Ἕλληνας quorum Rom. I. 14. fit  
 mentio, fuisse gentiles, nondum sequitur, vocem illam in eodem loco  
 gentiles significare. Distinguendum iterum inter illud quod voce signi-  
 ficatur, & ipsam vocis significationem. Homo est animal: non autem  
 voce animal continuo & homo significatur, sive quod idem est, vox  
 animal non continuo & hominem significat. Sic & Ἕλληνες quorum Rom.  
 I. 14. fit mentio fuerunt gentiles: non autem vox ista ibidem gentiles  
 significat. Non aliter & Ἕλληνες, qui Joh. XII. commemorantur, fue-  
 runt Judæi: nec tamen vox Ἕλληνες ibidem Judæos significat. Fuisse illos  
 Judæos, non ex voce Ἕλληνες est intelligendum, sed ex actione istà, quæ  
 ipsis tribuitur, quod puta Hierosolyma fuerunt profecti eum in finem,  
 ut ibi in solenni festo Paschatis adorarent, ac sacrificarent.

XI. Quoniam certum est in capite XII. Johannis Judæos quosdam  
 dictos esse Ἕλληνας, suspicio subit, eundem sacrum scriptorem & in  
 alio quodam loco ipsos Judæos vocasse Ἕλληνας: quod quidem æquè  
 ac superius, pernegat Vir summus. In cap. VII. v. 35. S. Johannes Judæos  
 sic inducit loquentes: πᾶ ἔτι μὲλλον περιέυεσθ, ὅτι ἡμεῖς οὐχ εὐρήσο-  
 μεν αὐτὸν; μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μὲλλον περιέυεσθ, καὶ  
 διδάσκων τὰς Ἕλληνας. Latinus interpres vertit: Quò hic iturus est,  
 quia non inveniemus eum (ut non inveniamus eum, quemadmodum  
 ipse dixit) Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes.  
 Apparet, eum Interpretem hic quoq; gentes sive gentiles intelligere per  
 vocem Ἕλληνας. Nec aliter Vir summus, de quo paulo ante dicebamus. Per  
 vocem διασπορὰν autem intelligit loca in quibus Judæi erant dispersi. Ergo  
 διασπορὰ Ἑλλήνων ex ipsius mente significat omnia loca, in quibus Judæi  
 inter gentes habitabant. Vide p. 220. libri de Hellenisticà. Drusus per  
 vocem διασπορὰν intelligit ipsos Judæos dispersos: non loca ista in qui-  
 bus illi habitarent. Quidam verò per vocem Ἑλλήνων intelligi debe-  
 ant, de eo dubius est. Forte, inquit, Ἕλληνας vocat, quos supra Ἑλληνογενεῖς  
 sive

sive Græcienses vocari diximus. Aut Græcos dicit, qui religionem Græcam profitebantur, quos Ἕθνικὸς & gentes appellant.

XII. Nobis concinnum videtur, per vocem διασπορὰ non loca in quibus Judæi dispersi habitaverunt, intelligi: sed ipsam Judæorum dispersorum multitudinem. Per Ἕλληνας verò hic quoque intelligimus Judæos: non sic quidem, ut Vir summus suspicatus fuit, quasi vox Ἕλληνας Judæos significaret, sed modo, quod Ἕλληνας isti Judæi fuerint. Ergo διασπορὰ Ἕλληνων fuerit multitudo dispersorum Judæorum, in Græciâ habitantium. Sic & διασπορὰ τῶν Παρθῶν dici potest ea Judæorum dispersorum multitudo, quæ in Parthiâ domicilium habet. Pari ratione & διασπορὰ Μήδων, Ἀράβων, Κρήτων dici potest. Et illi Parthi quidem, qui Act. II. 9. nominantur, fuerunt ἐκ τῆς τῶν Παρθῶν διασπορῆς. Medi item, qui ibi nominantur, fuerunt ἐκ τῆς τῶν Μήδων διασπορῆς. Sed hæc τῶν Μήδων διασπορὰ dici etiam potest τῆς Μηδίας διασπορῆς. Ut sic ea multitudo Judæorum ab ipsâ regione denominetur, in quâ habitavit. Quod ita fieret, ut Judæi qui in Galatiâ habitabant, in I. Pet. I. v. i. dicuntur διασπορὰ Γαλατίας, & qui Cappadociam incolebant, dicuntur διασπορὰ Καππαδοκίας. Sed rursus hæc διασπορὰ dici etiam poterant διασπορὰ τῶν Γαλατῶν, τῶν Καππαδόκων: sic nim. ut ἡ τῆς Ἑλλάδος διασπορὰ Joh. VII. dicitur διασπορὰ Ἑλλήνων. Ipsi Judæi dispersi dicuntur διασπορὰ. Ex quibus autem regionibus Judæi sint oriundi, id significatur addito nomine regionis, hoc modo, τῆς Καππαδοκίας, τῆς Ἀσίας, τῆς Ἑλλάδος. Aut etiam addito nomine gentis sive gentili, hoc modo τῶν Καππαδόκων, τῶν Ἀσσυρίων, τῶν Ἑλλήνων. Sic vero per nomina ista gentilia non opus est intelligere istos habitatores regionum, qui ethnici erant: sed intelligi possunt ipsi Judæi, qui & ipsi regionum fuerunt incolæ, Judæi puta Καππαδόκες, Ἀσσυριοὶ, Ἕλληνες.

XIII. Vir summus, ut dixi, per τὴν διασπορὰν intelligit non ipsos Judæos, sed loca in quibus dispersi Judæi habitaverunt. Sed quid opus est, vocem sic μετωνομίαν intelligere? Non concedendum ipse putat, in verbis διασπορὰ Ἑλλήνων, Ἕλληνας istos fuisse Judæos. Quid vero causæ habet? Annon Judæi, qui ἐν τῇ Ἑλλάδι egerunt, æque dici po-



fuerunt Ἕλληνας, atq; isti Judæi, qui in Parthiâ aut Mediâ egerunt, dicti fuerunt Παρθοὶ καὶ Μηδοί. Hoc sanè tam est liquidum, ut ipse alicubi facere non potuerit, quin id quod verum est, profiteretur. In p. 237. libri de hellenist. hæc legimus: *Cum opponuntur in Scripturâ Ἰσραῖλοι & Ἕλληνας, respectu religionis eos opponi certum est. Alioquin si natale solum spectatur, multi etiam Judæi Ἕλληνας fuerunt, utpote in Græciâ nati, & à loco originis suæ appellati.* Rursus in Fun. L. Hellenist. p. 101. in omnia contraria abit. *Quicquid dicant, inquit, non poterunt persuadere, ut illo loco Johannis (cap. VII.) Ἕλληνας sint Judæi, non sanè magis, quam ut hereticus capiatur pro Orthodoxo, & Muhammedanus pro Christiano. Durum quidem videtur, διασπορὰν etiam dici de Græcis, quæ proprie sit Judæorum: sed longè durius, ut Ἕλληνας intelligantur de Judæis. Ergò illud concoquendum de διασπορᾷ Græcorum, & cogitandum, quomodo & Græcis tribui possit.*

XIV. Quoniam tam durum ipsi videbatur credere, Ἕλληνας istos fuisse Judæos, ipsam vocem διασπορὰν sollicitandam duxit, & per eam intellexit non ipsam dispersionem sive Judæos dispersos, sed varia illa loca, in quibus dispersi Judæi egerunt. Si sic intelligeret vocem διασπορὰν, de voce Ἑλλήνων quoq; rem expeditam fore credidit, ut per eam non Judæi, sed Gentiles intelligerentur, vel specialius gentiles Græci. Et suam quidem mentem, quam facere potuit, clarissime exposuit in lib. de Hellenist. p. 220: *Ita ergo & διασπορὰν Ἑλλήνων ἰδιωτικῶσ ἀπὸς Johannem capienda est non de ipsarum gentium dispersione, sed de Judæorum inter gentes. Deinde διασπορὰν ibi sumitur non pro ipsa dispersione (pro ipsis dispersis) sed pro loco dispersionis.* Sed hoc non facile quis credat, loca ipsa in quibus dispersi Judæi agebant, διασπορὰν dici. Cogitavit igitur, annon & alibi ista vox ipsum istiusmodi locum denotaret. Et putavit quidem, in inscriptionibus epist. D. Jacobi & D. Petri vocabulum ita esse usurpatum. In eam sententiam leguntur quædam in Fun. L. Hellenist. p. 101. *Animadversione dignum est, inquit, Jacobum inscripsisse epistolam suam ταῖς δώδεκα Φυλαῖς, ταῖς ἐν τῇ Διασπορᾷ, duodecim tribubus quæ sunt in Diasporâ, non τῇ διασπορᾷ τῶν δώδεκα Φυλῶν. Petrus quoq; παρεπιδήμας τῆς Διασπορᾶς vocavit illos electos, ad quos priorem epistolam direxit, id est, inquilinos Diasporæ. Nomen Διασπορᾶς videntur*

videntur *usurpasse pro regione, in qua dispersi incoluere Judæi, non pro ipsâ dispersione* (ipsis dispersis Judæis.)

XV. Verum enimvero nec de his liquere potest. Ne in verbis Jacobi & Petri quidem *διασπορὰ* est nomen regionis, sed & ibi ipsam *dispersionem sive ipsos dispersos Judæos* significat. Parum sanè est verisimile SS. Apostolos regionibus nova nomina imposuisse, quibus ipsæ regiones ab inhabitatoribus suis non appellarentur. Sed urgetur illud, quod S. Jacobus scripsit *ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ*. Quoniam dicitur, XII. tribus esse in *διασπορᾷ*, putat *διασπορᾶν* esse locum, vel potius *omnia loca in quibus dispersi Judæi habitant*. Sed quid opus est ita intelligere? *φυλαῖαι ἐν τῇ διασπορᾷ* sunt tribus *dispersæ*. Vulgatus ita vertit: *Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione*. Ubi sanè *τὸ* esse *in dispersione* nihil aliud est, quàm *esse dispersum*. Sic planissimè intellexit & Syrus Interpres. Vertit enim: *לתתעסרה שרכן רורוען בעמ״כ*. *duodecim tribubus quæ disseminatæ sunt inter gentes*. Si quis dixerit, hos Interpretes non rectè intellexisse Græcam phrasin *εἶναι ἐν διασπορᾷ*, quod per hanc non aliud intellexerunt quàm *esse dispersum*, regerimus illi, quod Græci interpretes V. T. non aliâ phrasi sunt usi, ubi idem illud exprimere voluerunt. In cap. XXVIII. Deut. v. 20. leguntur ista: *וְהָיְתָה לְזוֹעָה לְכָל מַמְלֹכֹת הָאָרֶץ* & *eris commotio in omnib; regnis terræ*: vel, ut vulgatus habet, *& dispergeris per omnia regna terræ*. Ista talia minimè dubitarunt Græci Interpretes sic vertere, *καὶ εἶσθαι ἐν διασπορᾷ ἐν πάσαις ταῖς βασιλείαις τῆς γῆς*. Erat exprimenda hæc phrasis, *esse commotionem, esse dispersum*. Quod igitur expresserunt Græci per phrasin *εἶναι ἐν διασπορᾷ* esse *in dispersione*. Quidni igitur & in epistola Jacobi *αἱ φυλαῖαι ἐν τῇ διασπορᾷ* intelligi possent *tribus dispersæ*? Quod vero S. Jacobus scripsit ad duodecim tribus dispersas, hoc est, ad Judæos non in Palæstinâ, sed in variis provinciis degentes, ex eo conicere licet, ipsum esse Jacobum Apostolum, *τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου*, fratrem Domini, ut S. Paulus Gal. I. 19. appellat, quem ex historiâ Ecclesiasticâ Eusebii, & libro de scriptoribus Ecclesiasticis Hieronymi scimus, Hierosolymitanæ Ecclesiæ diu præfuisse, ac Hierosolymis quoq; martyrium subiisse.

XVI. In S. Petri verbis vox *διασπορὰ* itidem non locum sive regionem significare potest: sed significat *ipsam dispersionem Judæorum sive disper-*

*dispersos inter gentes Judæos.* Scripsit S. Petrus ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις  
 διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ασίας καὶ Βιθυνίας. Quæ  
 vulgatus interpres sic vertit: *electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ &c.*  
 Videtur igitur & iste interpres per διασπορὰν intellexisse *homines dispersos*  
 Syrus item interpres non aliter intellexit. Vertit enim: נבחרים נבחרים  
 רגלים *electis & incolis disseminatorum* hoc est inter disseminatos sive  
 dispersos. Nam in editione Trostianâ non rectè versum est: *Electis &*  
*incolis disseminatis.* Si autem per διασπορὰν intelligas *χώραν regionem,*  
 cogita quàm parum id congruat cæteris verbis. Recenset Petrus non  
 unam modo, sed multas diversas provincias. Quare si per διασπορὰν  
 significare voluisset *χώραν regionem,* scripsisset sic potius, *ἐκλεκτοῖς*  
*παραπηδήμοις διασπορῶν Πόντου, Γαλατίας, electis advenis regionum Pon-*  
*ti, Galatiæ, Cappadocia &c.* Quoniam plures regiones recensentur, non  
 potest vox διασπορὰ, si hæc in verbis Petri *regionem* significet, nu-  
 mero singulari poni. Deinde quoq; observandum est, si διασπορὰ  
*regionem* significet in verbis Petri, statuendum esse, S. Petrum scripsisse  
 Epistolam ad omnes fideles & Christianos, qui in istis regionibus fue-  
 runt. Omnes quippe illi fuerunt *electi advenæ regionum Ponti, Cappa-*  
*docia &c.* Sed concinnius videtur, S. Petrum scribere modo voluisse  
 ad illos Christianos, qui ex Judæis tales facti fuerant. Notum quippe  
 est ex epist. ad Gal. cap. II. Petro seorsim concreditum fuisse  
 εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας, *evangelium præputii,* hoc est, Judæis præ-  
 dicandum. Cum hoc verò optimè congruunt ipsius S. Petri verba, si  
 modo per διασπορὰν intelligas *ipsam dispersionem Judæorum, sive di-*  
*persos Judæos:* quæ sanè significatio maximè propria est. Scripsit ita  
 Petrus, non toti τῇ διασπορᾷ Ponti, Galatiæ &c. hoc est, non omni-  
 bus Judæis sive Hebræis per Pontum, Galatiam & alias quasdam regio-  
 nis dispersis, (neq; enim omnes Judæi eam recepissent: imò nec omni-  
 bus competunt elogia ista, quæ in ipsâ epist. leguntur) sed modo  
 τοῖς ἐκλεκτοῖς διασπορᾶς Πόντου, *electis dispersionis Ponti, Gala-*  
*tiæ &c.* hoc est fidelibus & Christianis dispersionis, sive dispersorum  
 Judæorum, illis qui inter dispersos Judæos fideles & Christiani erant.  
 Nimirum Genitivus διασπορᾶς *partitionem* significat. Illos verò  
 ἐκλεκτοῖς διασπορᾶς *electos inter dispersos Judæos παρεπιδήμους*  
 vocat,

vocat, ut commonefaceret eos, ne rebus mundanis nimis adhererent, sed de supernâ patriâ usq; cogitarent. Hinc & in cap. II. v. II. ipsos ὡς πρῶτος καὶ περιπεδημένους ut qui advene modò sint, hortatur, ut abstineant à carnalibus cupiditatibus. Item in cap. I. v. 17. tempus illud, quod in hoc mundo exigunt Christiani, vocat τὸν τῆς περιουσίας χρόνον.

XVII. In verbis S. Jacobi & S. Petri, ut apparet, vox διασπορὰ non significat locum sive regionem, sed dispersionem Judæorum sive dispersos Judæos. Videamus nunc, an in illis verbis quæ apud S. Johannem sunt, eadem vox possit locum sive regionem significare. Per Ἑλλήνας ibi intelligit Vir summus vel Gentiles in universum, vel Græcos, qui gentilium pars erant. In Fun. L. Hell. p. 102. verba ejus sic habent: Διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων est regio Græcorum, vel etiam Gentium (in universum) quam inhabitabant Judæi, qui ubiq; terrarum erant dispersi. Vocem διασπορὰ autem positam putat pro χώρᾳ regio. Ut ita διασπορὰ Ἑλλήνων nihil aliud sit quàm χώρᾳ Ἑλλήνων, regio Græcorum aut Gentilium. Sed inconcinnum videtur, Judæos, si quærere voluissent an Christus in regionem Gentium aut Græcorum ire vellet, & Gentes aut Græcos docere, in eâ quæstione ponere vocem διασπορὰ, vel potius, cum Hebraicè loquerentur, vocem נְצִיבְתָּ. Quid enim hæc vox ad gentiles? Eo nomine appellare solebant Judæos qui inter gentes dispersi agebant. Potuissent ipsi Judæi, si id voluissent, uti voce נְצִיבְתָּ. Et S. Johannes, qui eorum verba Græcè expressit, potuisset uti voce χώρᾳ. Ut istum scrupulum eximeret Vir summus, in Fun. L. Hell. p. 104. sic scribit: Quod autem Christus Judæus esset, qui ad gentiles ire non posset, quin ibi consistentibus in Diaspora Judæis fratribus id notum foret, cum Græcos doceret, ideo διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων Johannes dixit, ἀντὶ τῆς χώρᾳ τῶν Ἑλλήνων. Sed quis hoc credet, S. Johannem pro χώρᾳ ideo posuisse vocem διασπορὰ, illam, inquam, quâ Judæi inter gentes dispersi appellari solent, quod Christus non posset in istam χώρᾳ regionem venire, ibiq; Græcos docere, quin id Judæi in Græciâ degentes, qui διασπορὰ erant & dici poterant, cognoscerent? Prorsus improbabile hoc est, vocem quæ dispersos inter gentes Judæos significat, traductam esse ad χώρᾳ regionem significandam, & quidem ob tam levem causam.

XVIII. Deinde & hoc cogitandum est, S. Johannem Judæorum exprimere sermonem, quodq; hi Hebraicè dixerant, id ipsum Græcè scribere. Quoniam igitur in Evangelio Johannis hæc Græca reperimus εἰς διασπορὰν Ἑλλήνων: cogitare licet, ipsos Judæos Hebraicè sic fere dixisse, אֶל-תְּפוּצָת יְרֵנִים. Nam διασπορὰ Hebraicè תְּפוּצָת dicitur. Et hæc ipsà voce appellare solebant Judæos qui inter gentes dispersi erant. Si igitur S. Johannes vocem διασπορὰ posuit pro χῶρα, necesse est, ipsos Judæos vocem תְּפוּצָת posuisse pro ארץ: id quod itidem improbabile est. Si item dicere voluissent de regione Græcorum hoc est, Græcià, ne quidem dixissent ארץ יְרֵנִים, sed dixissent יַרְדֵּן ארץ terra Javanis. Nam terras appellare solebant à primis habitatoribus. Et Græciam quidem à Javane: uti & in S. literis fieri solet. Nos ex Græcà voce Ἑλλήνων colligimus, ipsos usos fuisse voce pl. numeri יְרֵנִים. Ex hoc vero amplius colligere licet, ipsos nec voce תְּפוּצָת regionem voluisse significare: id quod per se quoq; improbabile esse jam dictum est.

XIX. Sed nec satis sibi constat Vir summus, dum per τὰς Ἑλλήνας modo gentiles, modo Græcos intelligit, ut ipsiusmet verbis paulò ante expositum est. In pag. 220. lib. de L. Hell. ita scribit, ut non nisi gentiles intelligere videri possit. Διασπορὰ Ἑλλήνων, inquit, apud Johannem capienda de Judæorum dispersione inter gentes. Deinde διασπορὰ sumitur non pro ipsà dispersione, sed pro loco dispersionis. Videamus quoq; quomodo illud διασπορὰ Ἑλλήνων explicet, si per Ἑλλήνας intelligat gentes: per διασπορὰν vero regionem, ut antea. Cum in prædictà pag. scripsisset, διασπορὰν Ἑλλήνων intelligendam esse de dispersione Judæorum inter gentes, ut hoc similibus exemplis firmaret, mox ista subjecit: Sic metus Pompeji Salustio, non quo metuebat Pompejus, sed quo metuebatur. Et ignominia superbi victoris, non quâ afficiebatur Victor, sed quam inferebat. Primò ipsa hæc exempla inter se non congruunt. In priori enim Genitivus Pompeji objectum est: in posteriori vero Genitivus Victoris est efficiens. Sed horum prius fortasse geminum putat illi quod in cap. VII. Johannis est. De eo igitur videamus. In verbis Salustii Genitivus notat objectum. Cujus autem rei objectum erit Genitivus Ἑλλήνων in verbis S. Johannis? Præcedit vox διασπορὰ. Quam Vir summus putat significare regionem, in quâ dispersi Judæi habitent. An ergo οἱ Ἕλληνες sunt istius-

istiusmodi regionis objectum? Dicitur id nullo modo potest. Sed fortasse dicet, Genitivum Ελληνων ad *dispersos Judæos*, quorum notionem voce διασπορά simul comprehensam putat, esse referendum. Quamvis durum sit, Genitivum referri ad notionem quandam, quæ voce quadam non primario sed secundo comprehenditur: cogitemus tamen, an, si dicatur *Dispersi inter gentes*, ipsæ gentes possint objectum dici illorum disperforum. Objecta solent esse potentiarum & actionum, itemq; ipsorum agentium objecta. Pannus objectum factoris est: visibile objectum visus. Cum autem dicitur, *dispersi inter gentes*, vox *gentes* non referri potest ad vocem quæ *potentiam, actionem aut agentem* significet. Quare nec objectum dici potest.

XX. Ille sensus, quem Vir summus in verbis S. Johannis quaesivit, parum concinnus est, ut apparet. Quamobrem & totum illum nos repudiamus. Videamus autem denuo de eo sensu, quem jam supra ostendimus. Is ita se habet: *An iturus est εἰς διασπορὰν Ελληνων ad dispersos Judæos Græcos sive in Græciâ agentes, & eosdem docturus?* Ipsi Judæi quoq; sensu satis commodo possunt Ελληνες dici, ut jam supra satis est demonstratum. Ita vero Genitivus Ελληνων non denotat homines ab istâ διασπορᾷ diversos, sed ipsos illos qui istam διασπορὰν constituunt. Non aliter scilicet, quàm si dicam, *cætus spectatorum, auditorum*. Quemadmodum horum proximorum Genitivorum ea vis est, ut unum cætum distinguant ab alio, cætum spectatorum verbi gr. à cætu auditorum: ita & vocis Ελληνων commodus usus est ad vocem διασπορά. Significat hæc vox *cætum sive multitudinem Judæorum inter gentes disperforum*. Sed unus cætus disperforum Judæorum distinguari potest ab altero. Ex causâ, cætus qui in Parthiâ fuit, à cætu qui fuit in Mediâ. Talis igitur distinctio fit per Genitivos additos, hoc modo, διασπορὰ Παρθων, Μηδων, Ελληνων. Potest & nomen regionis addi, hoc modo, διασπορὰ Παρθίας, Μηδίας, Ελλάδος. Sic enim in epistola Petri dicitur, διασπορὰ Πόντε, Γαλατίας. Ipsi Judæi ita ferè locuti fuerant Hebraicè: יוֹנִים — חַן יְלִמְר הַיְיִנִּים הַתְּפִיחֵ אֶל־רִבְרָבָא. *An iturus est ad dispersionem Græcorum (dispersos Judæos in Græciâ degentes) & docturus Græcos.* Illos Judæos qui in Græciâ habitabant, dixerunt

xerunt **Γραικοί** *Græcos*, sicut Judæi in Parthiâ aut Mediâ habitantes  
 Parthi & Medi dicebantur. Quæ vero occasio fuit, ut ita ipsi loque-  
 rentur? Dixerat Christus, quo ipse iturus esset, eò non posse pervenire  
 cæteros, & situm quæsitus fuerit, se non inventum iri. Intellexerat  
 autem de suo in cœlum ascensu. Judæi igitur qui hæc audiebant, cum  
 intellectum eorum non perciperent, de futuro quodam longinquo  
 Christi itinere conjiciebant, & quide de itinere ad Judæos in Græciâ agen-  
 tes, atq; adeo in ipsam Græciam, quæ satis longè ab Hierosolymis re-  
 mota est, & in quam non solo terrestri itinere perveniri potest ex Palæsti-  
 nâ, sed ut eo perveniatur, in aliquo Palæstinæ portu navem conscende-  
 re, atq; ita mare, & quidem **הַיָּם הַגָּדוֹל** *magnum*  
 superare oportet.


**Corollaria ulterioris exerc. causâ hæc addimus:**  
 quæ multis *παράδοξα* videbuntur.

- I. *Vocula Nullus non est signum universalis negative enunciationis: si quidem verum est, quod vulgò dicitur, ut enuntiatio negativa sit, voculam Non vel ante copulam vel ante signum esse ponendam.*
- II. *Immota lex est prima figura, minorem nunquam esse negativam.*
- III. *Tertie figure non tantùm sex sunt modi, sed paulò plures.*
- IV. *Rectè sic colligitur, Qui animam & corpus perdere potest in inferno, magis timendus est, quàm is qui solum corpus potest perdere. Deus an. & corpus potest perdere in inf. Tyranni autem modò corpus possunt perdere. E. Deus magis timendus est quàm Tyranni. Hæc tamen argumentatio non est Syllogismus.*










Judæo. Deinde mox subjicit: *Hoc sicut, jungentur nec quicquam vetat, quin omnia vel medium fiat chaos redigantur.* Hoc sibi vult Vir summus: *Solet τῶ Ἰσθαίω, sic ut duæ istæ voces contra (hæc enim talem significat, qui Judaicâ religione talem, qui Judaicâ non imbutus, sed incircumcissus & τὸν Ἰσθαίον dici Ἕλληνα.* Et hoc quidem satis veni- ne, quâ cî Ἕλληνες opponuntur τῶς Ἰσθαίω, Judæi dici. Possunt vero iidem Judæi aliâ quadam dictione, si vox, ut vulgo solet, significet *talem & Græcâ Linguâ utitur.* Hac significatione quid Græciâ degebant, dici Ἕλληνας? Sed nec de istan, quod Vir summus scripsit, *nomen Ἕλληνας Scripturâ accipi pro Judæo.* Qui contendunt, *Ex Joh. XII, fit mentio, Judæos fuisse, non continetur Ἕλληνας ibi Judæum significare.* Diversa hæc sunt fuerint, & an vox Ἕλληνας ibi Judæos significet asserimus: non item posterius. Nec puto illos, qui agit, tam fuisse ἀπὸ πρῶτος, ut unquam vel dixerint, Ἕλληνας significare *Judæum*, hoc est, duas voces æquipollere. Judæi, qui in Græciâ degebant, Ἕλληνας; alio vero non sunt. Sunt Ἕλληνας intelligas in Græciâ natos, & Græcâ Linguâ utentes Ἕλληνας, si intelligas gentiles.

X. Unus Apostolus Paulus in epistolâ ad vicinis quidem versiculis duplici significatu vocem scribit, *se debitorem esse Ἕλλησι τε καὶ βαρβάροις* intelligit in Græciâ natos, & Græcâ Linguâ utentes usurpat vocem, cum dicit, *Evangelium esse omni credenti, Ἰσθαίω τε πρῶτον καὶ Ἕλλησι, & gentili.* Sed dicat quispiam, annon Ἕλληνας, quæ significationem facit, & ipsi gentiles sint intelligendi. Id nos repugnabimus. Non dubium nobis est, quod

B 2



the scale towards document

hes equis,  
antiquum  
opponi  
volvant  
illa verò  
on posse  
ificatio-  
Ἕλληνας  
Ἕλληνας  
natus est,  
, qui in  
ous erat,  
lum in S.  
quorum  
t, vocem  
isti Judæi  
n & nos  
summus  
, vocem  
Ἰσθαίω  
aru sunt  
illam in  
on sunt  
p. I. & in  
verf. 14.  
Ἕλληνας  
ongè ali-  
salutem  
hoc est,  
14. men-  
r minimè  
eros gen-  
tiles